

40

P. lat. rec.

7253

: 19

H A D R I A N I R E L A N D I
E L E G I A

A D

Illustrissimum Comitem

DOMINICUM PASSIONEUM;

Quum

*Inter Harderovicum & Darentriam curru
excussus & allisus solo crus laessisset.*

E . L E G I A .



Ngrati nimium colles, & inhospita
tesqua,

Invitis Batavum nomen adepta Diis,
Quae nullas Dryades, nullas aluere
Napaeas,

Nec laetos Charitum sustinuere cho-
ros:

Non nisi ferales producere digna cupressos,

Quas afflent rauco gutture noctis aves.

Hei mihi! cur vestras nuper delatus ad oras

Infausta cecidit PASSIONEUS humo?

Quid violas sacrum Musis caput, impia tellus,

Admissi poenas mox luitura tui?

Pro se, proque suo pugnabit Pallas alumno,

Sumet & irata tela tremenda manu.

Quid nocitura tibi, temeraria, Numina spernis,

Et superos armas in tua damna Deos?

Adspicis ultrices fociorum insurgere turmas,

Et quaevis merita dira vovere tibi.

Gallia conqueritur tibi tradita pignora laedi,

Quae gremio fovit mollius ipsa suo.

Trans Alpes ea fama volat, Latioque per agros

Fertur, & Europae gloria, Roma, dolet.

Nos quoque, qui colimus Musarum Numina, Belgas

In partem luctus fata venire jubent.

Est aliquid, fateor, nullas emittere flammis,

Nec gravidos tetro sulphure ferre sinus.

Est aliquid, nulli lustrum praebere leoni,

Nec saevo horrendos dente fovere lupos.

Quid tamen hoc prodest, si tot discrimina vitae
Suggerat infidis terra terenda rotis?
Sed tibi quas diras, imprudentissime furræ,
Imprecer, o nimio viscera plene mero?
Qui nec ducere equos, nec flectere gnarus habenas,
Cum curru allidis gaudia nostra solo.
Illa tibi eveniant quae Naso scripsit in Ibin:
Par erit haec sceleri poena futura tuo.
At bene, quod tantis vix demum erepte periclis,
Sospite Te liceat, PASSIONE E, frui.
O Patriae laus magna Tuæ, quo vindice Musæ
Septenis celebrant condita Tempa jugis.
Qui colis ingenuas, atque idem protegis, artes,
Consiliisque Tuis coepta decora juvas.
Qui doctas stabili connectis foedere mentes,
Nec metuis longae taedia ferre viae:
Post quae Te reducem quando Tua Roma tenebit,
Vive memor vatis, PASSIONE E, Tui.

HADR. RELANDUS.

Trajecti Batavorum.
a. d. xix. Decemb.
C10 13 CCXIII.